


Semises minimi.



In una parte.

37. Iuppiter laurea decoratus corona, laevo obtutu depicto est. ad ceruicem est ponderis nota. S. absq̄ alijs literis.

In altera.

Rostrum navis maxima arte facta, sinistro sem, si opus foret, navigaturæ: impressum est. cuius in infimo limbo, subter parasemonem Victoriola, ambab. manibꝫ eleuato pectore, Lauream coronam alte attollit. Suprà. S. nota eadem, quæ in superiori parte, inde legitur. NEMINVS. Semissem hunc uenit paruum uidi Romæ apud D. Antonium Augustinum.

In una parte.

38. Iouem eundem reperio, eodem ornatu, eadem forma, ut proximè. imò et signum idem ponderis.

In altera.

Rostrum navis eodẽ tendens, quò proximum, uerũ artificio à superiore discrepans. Cuius in carina ceu porticus contabulata, cernitur. Suprà id lego. L. RV. AP. Semis hic apud D. Antonium Augustinũ Romæ mihi est conspectus.

In una parte.

39. Iouis eadem cum superioribus figura, ornatus idem, eadem forma. Signum æris idem.

In altera.

Rostrum quidẽ est idem, eodẽ nitens, sed opere loq̄ præstat cæteris. Præterea in summa carina Victoria stans.